

nati; id ut maturo consilio consequerentur, duodecim cives, quos Reipublicæ *Reformatores* vocarunt, creavere; atque ut tum primum nascentem libertatem foverent, ac firmarent, summo cunctos Principes studio, & observantia se prosequi vulgaverant; neque his, neque illis favere; in neutram partem propendere. Ad Franciscum Sfortiam Oratorem e Saulia familia Reformatorum nomine miserant, qui quo loco suæ res essent; partam libertatem; quo animo in Principes futuri, nunciaret. decreverat is Venetias accedere; sed de Senatus mente ambigens literas publicas miserat: mox Federicus Grimaldus, ac Georgius Ventus, qui negotiorum causa Venetiis degebant, suæ Reipublicæ nomine, ut ad Collegium aditus illis pateret, petiere. Introducti, Arausionense Episcopo Regis legato præfente: eorum oratio demissa admodum, officiorum, atque observantiæ in Venetam Rempublicam plurimis argumentis referata: partam Andreæ Auriæ ope libertatem ut conservarent, Senatum æquo animo ferret, rogarunt; a qua se minime aversum esse superioribus temporibus non obscure ostendisset; cum, urbe illorum obsessa, petentibus, ne a Veneta classe naves, quæ ad illius inopiam sublevandam frumenta invehebant, molestia afficerentur, Senatus decreto minime negatum fuerat: si Cæsareanos, atque Antonium Adurnum illis faventem urbe ejecissent, atque se in libertatem vendicassent, nulla re defuturum: id illorum mentibus insidere, atque haud exiguam spem concipere, libertati, ad quam adipiscendam cohortati fuerant, Rempublicam non adversam fore. Responsum a Senatu est: quæ Genuæ acciderint, summa animi molestia Rempublicam accepisse; immutatas temporum condiciones, ut ab indigna Cæsareanorum servitute eriperentur enixam fuisse; modo cum in Regis clientela conquiescerent, atque illius patrocinio fulti tutæ libertatis fructus perciperent; quid indignius efficere potuisse, quam Andreæ Auriæ, qui nuper in Regem omnia hostilitatis signa ediderat, in urbem recipere; Gallorum copias arcere; classi regiæ damna inferre? hæc nisi ægre, ac summa cum indignatione intelligi non posse: jure magnanimi Regis arma in se ipsos lacesse; foederato, ac socio tam justa causa nulla in re Rempublicam defuturam. Audito Senatus decreto, nil ultra addidere, nisi se omni operâ, & studio gra-

1528

*Genuenses
oratore ad
Sfortiam*

*Federicus
Grimaldus
& Georgius
Ventus Ve-
netum col-
legium ad-
eunt.*